



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 7. Variorum de stella à Magis, in Oriente, visa, vel errores, vel opiniones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

tē à Domino Deo tuo aliter institutus es, à qua institutione si recesseris, vide, ne & tu extermineris,

§. VI.

Variorum de stella à Magis in Oriente, visa, vel errores, vel opiniones.

Matth. 2.
2.
S. Gregor. homil. 10. in Euang.

At putant, se patrociniū habere sacre scripturæ, in qua Magi aduentus sui causam illam indicant: *Vidimus enim stellam eius.* Sanè D. Gregorius scribit, Priscillianistas docuisse, stellam hanc fuisse *fatum* Christi. Quibus accedunt Albumasar & ex eo author Speculi, quod vulgò Alberto Magno ascribitur, alijq; qui autumāt, Mundi Conditozem, in astris, prouidentiam suā & ea, quæ per illam facturus est, certis notis signasse, & velut characteribus quibusdam inscripsisse. Vnde existimant etiam, in illa Christi stella, Christi ortum Magos legere potuisse; neque ortum tantum, sed etiam mores, miracula, vitamque vniuersam. Petrus de Aliaco Cardinalis & Archiepiscopus Cameracensis scribit, sub tempus Natiuitatis Christi, fuisse concursum Iouis cum Saturno, in Cancro: *in ipsa verò Christi Natiuitate*, inquit, *Horoscopus erat pars Virginis octaua, (quæ religionis mutationes & partum*

Petrus de Aliaco
Cardin.
& Archiep. Cameracæ. q. 30. in Gen.

tum

*rum Virginis significat) in culmine verò cali-
erat Saturnus; in imo autem Sol. Quem Ser-
uatoris Horoscopum in figura spectandum
exhibet Sixtus Senensis.*

Sixt. Sen-
nens. lib.
6. Bibli-
oth. c. 10.

§. VIII.

*In Christi horoscopo, mysteria Christi videri
non potuisse.*

Verùm tametsi hoc de ascensu Virginis &
benigno siderum in Christum nascentem aspectu
fidei non repugnat, vt ait Salmeron; repug-
nat tamen rationi, stellam Magis Christi ex
Virgine ortum, mores, miracula, singulá-
que facta ostendere potuisse. Quo pacto e-
nim Christi ex Virgine ortus, transfiguratio,
Crucifixio, Resurrectio, res tam superna-
turales, arte naturali, qualis dicitur esse A-
strologia, deprehendi potuissent? An cha-
racteres aliqui in ea stella cernebantur? &
litteris fortasse scriptum ibi erat: *Virgo pe-
perit: Christus natus est: Crucifigetur: In ca-
lum ascendet?* At cur eas litteras nemo vi-
dit, præter Magos? & quàm Aquilinum eos
visum habuisse necesse est, vt litteras illas
legere possent? multòque magis Astrologi
nostri, quos plerumq; vel maculæ Solis ex-
cæcant, mirabiles esse debent, si tam pro-
cul legere possunt, quæ inscripta sunt in stel-

lis